

# DE MARCELLI PALINGENII STELLATI CARMINE, ANNO 1534 VVLGATO, QVOD ZODIACVS VITÆ INSCRIBITVR

– scripsit Peter Nabon –

*Non oblitus adbu...*  
(PALING. *Zod. vit.* IX, 484)

Cum fabulam philosophicam Gallicam *Le Compère Mathieu* inscriptam, quam Dulaurens quidam scriptor composuit XVIII sæculo, nuperrime legerem, permultas mentiones, in notulis iuxta proprium textum adpersis, esse animadverti alius cuiusdam operis, mihi ignoti, quod vocabatur *Zodiacus vitæ*. Hi citati loci, versibus compositi, mihi ita optimæ Latinitatis exstare visi sunt, ut statim amplius legere cuperem, moxque operam dedi ut hoc poeticum opus invenirem perlegeremque.

Cuius auctor Marcellus Palingenius Stellatus quidam esse videbatur, seu (anagrammaticè) Pier-Angelo Manzolli: nam Italicus hic poeta, qui sæculo XVI florebat, nihil aliud reliquit nisi hunc *Zodiacum vitæ, hoc est de hominis vita, studio ac moribus optime instituendis libri XII*, heroico carmine scripti. Quidni amplius composuit, cuius versus, fere decem mille in *Zodiaco vitæ*, auro pretiosiores, melle dulciores, gemmis cariores omnino sunt! Hoc carmen, merito inter totius Latinitatis præcellentissimos libros a te, lector, numerabitur, quod, quia summam sapientiam amplectitur nec non perurbanam saturam colit, ut paucis nunc dicam, contendere potest cum Lucretio et Flacco ambobus.

Editiones Palingenii carminis non plane desunt, sed paucæ exstant post sæculum XVIII. Inter tamen editionem principem, anno 1534 datam Venetiis, et editiones Batavas imi sæculi XVIII, non minus quam quinquaginta exstant, quarum maior pars inter annos 1538 et 1590 datæ sunt. Postea vero, Palingenii non decrevit fama, cum Naudæus,<sup>1</sup> Scaliger,<sup>2</sup> Bayliusque<sup>3</sup> valde eum diligenter; sæculo vero insequenti, apud philosophos tanta in gratia fuit, ut plurimi in Gallicam aut Germanicam linguam carmen transferrent.<sup>4</sup> Cum tamen poetæ latini moderni non omnino hodie spernantur, miramur inter recentiores perpauca Palingenium legisse, eiusque studia omnium consensu nondum occupata iacere. Nemo umquam de *Zodiaco vitæ* scripsit in commentario qui *Humanistica Lovaniensia* inscribitur! Tantopere enim neglexere eum docti nostri ætatis, ut, cum Miscellaneorum ingens liber factus est studiorum collectorum in honore studiosi Iacobi Chomarat, qui *Zodiaci vitæ* editionem novissimam curavit, notulam de Palingenio ipse Chomarat sub nomine ficto iocosoque scripserit, quod nemo alius facere dignatus est!<sup>5</sup>

Nihilominus cuncti, pauci licet, quos Palingenium legisse novi, eius carmen ingenii procacitate, linguæ elegantia, morum castitate præstantissimum, laudibusque dignissimum, iudicaverunt. Idcirco mihi apparuit fortasse usui esse brevem apologiam, immovero, locorum

recensionem, ut Latinæ poesis studiosos certiores facerem huius luculentissimi carminis, ne remaneret in eisdem ignorantæ tenebris in quibus et ego adhuc versabar. Palingenii carmini non opus est defensore, cum qui legit, statim probet; hic non omnem Palingenium, sed aliquot flores ex eius carmine expromemus.<sup>6</sup>

## DE CARMINIS MATERIA ET FONTIBUS QUIBUSDAM

Efficax summarium fecit G. Reynier de materia Palingenii carminis, qui ita scripsit: «Quod si nunc operam perpendere aggredimur, primum in oculos occurrit materiæ diversitas. Per speciem humanæ vitæ optime constituendæ, universam rerum scientiam amplectitur poeta, de omni quæstione disserit, nihil intentatum relinquit». <sup>7</sup> Nam ille tum ad naturæ investigationem se confert, tractatque de astris, tum de sensibus et animis nostris agit, tum de quæstionibus moralibus, de diis, de philosophis, de mulieribus, de monachis, de divitiis, de litteris, de voluptate, de summo bono: quicquid in rerum natura, in hominum scientia exstat, de eo disserit poeta. Quod fastidium movere potuisset, nisi ille artifex lautissime operam suam condidisset. Non immodice eruditum se in versibus præbet, in quo sæpe distat ab Italicis suæ ætatis poetis, Pontano Marullove dicam, qui utcumque possunt carmina implent heroum deorumque nominibus adeo obscurorum ut operæ pretium fuerit quendam *Elucidarum carminum*<sup>8</sup> componere! Palingenii musa facilis est, lectorem non vult philologum esse, nec illi, si rudis est, obstat: nec etiam vulgarem prudentiam spernit, immovero interdum nota proverbialia sua facit, ut *Qualis quæque arbor tales solet edere fructus* (V, 543).

Illud proverbium, quamvis antiqua sit eius fons,<sup>9</sup> ad sapientiam populi pertinet, numeraturque in adagiis Gallicis (*On connaît l'arbre à ses fruits*). Sic etiam de hoc proverbio, Gallice etiam noto:

*Ver non una dies, non una reducit hirundo* (V, 322).

Quo proverbio et Aristoteles utebatur,<sup>10</sup> Aristoteles quem persæpe legisse Palingenius videtur, cuiusque μετριότης ubique abundat: «medio sedet inclita virtus» (IV, 830), ut dicit, et iterum:

*Extremum quodcumque malum est, mediumque salubre; Omne nocet nimium* (V, 356-7).

Nec minus se ostendit credere Aristotelis opinionibus super eam omnium rerum corruptionem quæ apud philosophum illum φθορά vocatur:

*Nempe diu res nulla manet, nempe omnia semper Deteriora solent fieri, in peiusque referri* (VI, 387).

Cum ita consenserit cum Academicis, non minus Stoicos legisse probasseque Palingenius apparet; attamen, ut quem scholastici eduxere, mediævali more nonnumquam argumentatur de Stoicis monitis, et Senecæ mores de turba vitanda (vide *Ep.* 7-8) tractat Isidori Hispalensis instrumentis:

*Namque a turbando nomen sibi turba recepit* (IV, 745).

Religio Palingenii admodum nihil Christianitatis habet, nisi id quod deum omnipotentem quandam omnia creavisse putat, ut de deo dixit *Cunctorum tamen est rerum finisque et origo* (V, 203).

Quamquam scripserit, in præfatione sua, se «a catholica fide numquam declinare», vehementer monachos sacerdotesque insectatus est in quibusdam versibus, qui haud dubie magis *Zodiaci vitæ* famam produxerunt quam quicquid aliud in carmine. Quos propter versus Palingenii opus in Indicem librorum prohibitorum Romanæ ecclesiæ relatum est, unde orta est fama operis in Europæ partes ubi Lutheranorum doctrina vigeat. Alibi etiam «deum» vocitat solem, seque semipaganum, ut qui Gemisti Plethonis auctoritatem sequatur, præbet.

Nihilominus sacris Scripturis innutritus est poeta, nec eorum immemor, præsertim cum sapientia Biblica cum philosophicis moribus convenit, sicut cum Zachariæ (4, 6) congruenter ita præscribit:

*... Si quis te læserit, ipsum*

*Ingenio studeas mage quam superare furore:*

*Ingenio vires cedunt* (IV, 797).

Sæpenumero risum generosum necnon castum salibus gratissimis movet, ut ipse poeta lectorem monet: *Non volo te scurræ, sed si potes, esto facetus* (IV, 831).

Nam illi ridendi sunt homines, neque quemquam accuratius quam Palingenium «castigare ridendo mores» dicere oportet. Cuius carmini magnam vim comicam afferunt figuræ et comparationes, ut, exempli gratia:

*Utque movet nobis imitatrix simia risum,*

*Sic nos cælicolis* (V, 26-7)

aut

*Pandere si possunt animalia cætera fando [...]*

*Diceret et nobis asinus se nobiliorem.*

Præter aliquot fabellas de dæmoniis spiritibusque, quæ adhuc placebant scriptoribus ad finem Medii Ævi,<sup>11</sup> Palingenius nihil in carmine textit nisi solam prudentiam, sapientiamque solam. Quapropter spernit Græcos, illos Maronis «fallaces Graios»,<sup>12</sup> et, cum iis, quisque fallaciam fingit in versibus. Quid obtundunt nostras aures isti garruli versificatores fictis cum nugis, cum tantopere sapientia egeant homines? Palingenius, semper bonus et simplex, canit verum,

neque «quicquid Græcia mendax audet in historia» (*Iuv. Sat.* X, 174-175), sive, ut ipse dicit, fabulas quas «fingere Græculus audet, Græculus insani capitis» (*Z. V. V.*, 332). Hæc tota est ars poetica eius, nec dubitat admonere lectorem ne iis credat quæ «quidam scribunt de gente Pelasga» (V, 305):

*Sic perhibent Græci, gens multum accommoda nugis  
Garrulitate potens, fingendisque apta magistra* (IV, 244).  
et iterum

*... Nil curat dicere verum*

*Gens hæc, et tota est monstris ac dedita nugis* (V, 337).

Nec oportet mirari Palingenium ita dixisse de Græcis, cum alii multi, inter veteres Romanos, Latinitatem, contra morem Græcum, veritatis usum dixerint esse: vide Sallustium (*Cat.* VIII), aut, inter alios, Liutprandum Cremonensem præsulem (*Antap., Legat.*). Nam quantum attinet ad præcepta, verus Romanus est Palingenius si quisquam alius: non solum prudentiam sapientiamque theoreticam, ut iam ostendimus supra, sed etiam agrum suum colit, pariter ac Romanorum ille pater Cato maior. Quoniam *magis hortorum delectat cura* (V, 417),

Palingenius hortatur ad hortum curandum, qui «fruges producat inemptas» (V, 410): hic Flacci «inemptas dapes» meminimus (*Hor. Epod.* II, 48)...

#### DE SCRIBENDI GENERE ET RE METRICA IN CARMINE

Opipare adhibet eloquentiam noster Palingenius, ut qui peritissimus fuit in omni genere artis litterarum. At videlicet decipieris, lector, si eum vis, sicut quidam scholasticus Virgilii æmulus, sicce loqui: ille summus artifex verborum copiæ, copiose hausit ex omni Latinitatis fonte, ut fusa oratione largam loquelam pangeret. Non repugnat voces novas nec semper poeticas uti, syntaxi simplici sententias componere, analytico ordine verba ponere: non ad interpretandum sed ad intellegendum, non sibi sed lectori scribit.

Palingenii versus, quamvis heroicus, sæpe pedester sonat, haud secus ac in Saturarum libris Venusini poetæ, oratione etiam Palingenio affinis. Legitur versus et statim, immo vero, primo aspectu, intellegitur quid velit poeta.

Similiter ac oratio, versificatio interdum aliquid scholasticum et mediævale adhibet, quanquam non valde distat a regula metrica classica. Pæne omnes versus cæsuras et rhythmum omnino classicum habent, Virgilianumque sequuntur usum. Versus vero spondaicos fit ut faciat, attamen, ut mos est, cum nominibus propriis in clausula:

*Flamina quæ vastis cum fluctibus Amphitriten* (V, 156).



Editio secunda Tornæsiana  
Palingenii carminis (anno MDLVI)

Ceterum condit versus aliquot cum spondæis in quatuor primis pedibus, quod minime probant grammatici.<sup>13</sup>

*Ergo id quod rerum cunctarum est ultima finis* (V, 130)  
*Quippe hanc divinam immortalēque esse docebo* (V, 275).

In quibusdam versibus, quinti pedis ictus cadit in ultima uocis syllaba: quæ licentia, reperta apud Ennium<sup>14</sup> et, scilicet, in Horatii *Epistulis*,<sup>15</sup> damnata a classicis poetis heroicis, sæpe usu uenit in carminibus Medii Æui, usque ad sæculum XVI:

*Quomodo possim saltem miserū mīnīs ēsse* (V, 346).  
*Namque in diuitiis ueluti in cunctis quōquē rēbus* (V, 355).

Quamuis horridulum sit interdum in genere scribendi, Palingenii carmen non desinit esse optime cælatum, ubique facile et omnino admirandum. In materiis, lata uarietate conditis, iacent operis summæ illecebræ: at quid gratius quam proba sapientia laute expressa? Palingenius tam admirandus est ut philosophus quam ut poeta. Multum denique restaret quod dicam de carmine Palingenii: mihi liceat hoc unum addere: «tolle et lege!».

Lutetiæ Parisiorum, a.d. III non. oct. MMXVIII, dedi ego Peter Nahon ☞

APPENDIX: NUMERUS VERSUUM IN SINGULIS LIBRIS, ET EORUM ARGUMENTA<sup>16</sup>

Liber I. Aries. 287 vv. Declarat poeta, se de rebus moralibus uelle exponere, nec de talibus scripturum esse, qualia plerique poetæ canant. Ostendit uirtutem probitatemque potioem esse arte atque doctrina.

Liber II. Taurus. 576 vv. Agere orditur de summo bono, idque primum monstrat non in diuitiis esse quærendum.

Liber III. Gemini. 701 vv. Apparet poetæ Epicurus, qui contendit uoluptatem esse summum bonum, eumque ad eius palatium adducit. Ibi obuiam iis fit Virtus. Discedit Epicurus; Virtus autem poetam

meliora edocet, dehortaturque a luxuria; quo facto in cælum redit.

Liber IV. Cancer. 880 vv. Venit poeta in locum, ubi pastores offendit de amore canentes; quorum cantus interrumpitur, irruentibus in greges lupis. Apparet ei Virtutis filius, Timalphes, isque de amore disserit, et de amicitia deque consuetudine cum hominibus.

Liber V. Leo. 914 vv. Disserit poeta de uera felicitate, deque Deo summo bono, et unice uereque felici. Ceterorum uarios esse felicitatis gradus, uariaque genera. Quoniam autem homo nullus perfecte felix esse possit, id saltem esse curandum, ut quam minime miseri simus. Ad hanc rem igitur præcepta dantur, agiturque de uita bene instituenda, de libertate, de coniugio, de liberis educandis, de sanitate corporis, denique de sapientia, tanquam optima ad summum bonum duce.

Liber VI. Virgo. 996 vv. Turbatus poeta imagine mortis, omnia abripientis, erigitur a Musa, edoceturque de uanitate huius timoris, deque ueris bonis falsisque: et primum agitur de nobilitate, deinde de uitiis in uniuersum, de uirtutis studio huiusque difficultate, de fama et gloria, denique de omni uita humana, eiusque miseriis et perversitate; unde sequitur, mortem non solum non tantopere esse timendam, sed etiam exoptandam.

Liber VII. Libra. 1079 vv. Agitur hoc libro de deo et de anima humana. Igitur docet summum esse aliquod principium, primumque movens, quod uivat, æternumque sit, deusque uocetur, exponiturque de eius natura et operibus, de creatione mundi, de elementis, de spiritibus homine altioribus, et mundo invisibili; deinde de anima humana, ut quæ sit principium motus in homine, et in uniuersum de motu; de affectibus, de sensibus, et de animæ immortalitate.

Liber VIII. Scorpio. 1026 vv. De fato disserit, deque fortuna, et ostendit quomodo ea conciliari possit cum diuina providentia et cum libertate hominis.

Liber IX. Sagittarius. 1017 vv. Abripitur poeta in

cœlum, ubi spectat Lunæ incolas, arrogantiā osores; dein animarum iudicium. Dissertur de origine mali in corpore quærenda et in ignorantia boni, unde stultitia et scelus proveniant, quibus animæ ad voluptatem, avaritiam et superbiam detrahantur. Accedere dolos dæmonum, quorum duces conspiciunt, ab oriente sole Typhurgum, Aplestum ab occidente, a Septemtrione deum Luxuriæ, Philocreum, et a meridie dæmonem Invidiæ, Miastora; in medio autem summum omnium, Sarcotheum. Dividuntur homines in bonos, prudentes, astutos, stultos et insanos. Quæritur an via detur per-versis ad meliora redeundi, agiturque de cultura animi et sapientia vera, bonaque institutione, de dei cultu, angelorumque quos esse docet. Deinde iustitiam esse colendam, voluptatem fugiendam, idque mature, sicut et avaritiam, superbiam, iram: colendamque patientiam.

Liber X. Capricornus. 804 vv. Invocatis Musis, disserit de educatione, deque indole ad eam bona. Litteris operam esse dandam, et corpus excolendum. De divitiis externis et internis. De pauperie doctorum hominum, lapideque sapientum. Hominem vere sapientem debere abstinere a matrimonio, militia, re familiari augenda. Depingitur ut eremita in monte Soracte degens, ad quem adscendit poeta, edoceturque ab eo de interna animi vita, deque animarum immortalitate vitæque fragilitate. Ab hoc discedens obviam fit quibusdam Lunæ incolis spiritibus humana figura indutis, qui docent eum neminem in terris vere dici posse sapientem. Unde tristis conquerensque de hominum stultitia domum revertitur.

Liber XI. Aquarius. 1015 vv. Aquarius de rerum natura agit, ac primum de cœlo (et quidem ex veterum de eo theoria) de quinque zonis, de polis, de zodiaco, circulis, horizonte; de solis siderumque motu, de planetis, astris, stellis; de occasu signorum ortuque. Deinde de corporibus, eorumque materia et formis. Cœlum constare e durissima purissimaque materia, eiusque motum esse æternum. – Formas rerum a deo esse conditas. – Cœlum a felicibus habitari, corpore tenuissimo præditis. – De luna eiusque luce. – De æternitate mundi, quem deus ex nihilo creaverit. – De elementis eorumque situ. De igne; ventis, nubibus, ceterisque meteoris. De mari; de terræ centro, de umbra terræ. De anni tempestatibus. De Antipodibus, de zonis, quas ostendit omnes habitari. Denique de terræ motu.

Liber XII. Pisces. 584 vv. Mundum docet esse infinitum. Supra cœlum esse lucem summam, ubi beatissimi habitent spiritus cœlestes, et formæ rerum sint sine materia. Describit vitam cœlestium; quam mortales ut expetant, terramque spernant, hortatur. Sic enim posse

fieri, ut cum divis commercio fruuntur. Quam ad rem adipiscendam autem opus esse puritate vitæ, amore, precibus assiduis. Hoc ipsum vero esse summum bonum; et ad deum redire hominem post huius vitæ curriculum emensum. Denique deum id ipsum orat gratesque agit propter opus feliciter absolutum, librumque suum alloquitur, cui bona precatur fata.

- 
1. Qui, sua in *Apologia pro magia accusatis*, celeberrimum Palingenii versum citat: «O dii! quam magna est penuria mentis ubique» (Z. V. III, 145).
  2. In suæ *Poeticæ* lib. VI.
  3. In suo *Vocabulorum indice*, sub voce Palingenii.
  4. Monnerii conversio Gallica bis edita est Parisiis (anno 1731 et 1733), Germanicæque versiones typis datæ sunt Halberstadt, anno 1743, et Viennæ, anno 1785. Præterea Dulaurens, ut iam diximus, carptim Palingenii excerptos locos vertebat.
  5. Renato Wiedergeboren, [Jacques Chomarat], «Palingène (Marcellus) (c. 1500 - c. 1538/1547)», in *Centuriæ latinæ, cent une figures humanistes de la Renaissance aux Lumières offertes à Jacques Chomarat* (C. Nativel curavit), Genève, 1997, p. 587-593.
  6. Exempla et locos præcipue sumpsimus e libris IV et V *Zodiaci vitæ*, quia, breviores licet, tractant de diversis materiis, notulamque hanc etiam voluimus esse brevem. Nam si rationem reddere totius libri procuravissemus, nostra scheda modum decentem excessisset.
  7. G. Reynier, *De Marcelli Palingenii Stellati poetæ Zodiaci Vitæ*, Parisiis, Hachette, 1893, p. 9.
  8. Hermannus Torrentinus, *Elucidarius Carminum et historiarum seu vocabularius poeticus*, prima editio data anno 1498, deinde innumeræ editiones. Carmina quæ nemo legere poterit nisi cum *elucidario* cui placebunt? Hoc bonum habere debent carmina neolatina, ut vetustatis leporem cum hodiernorum scriptorum facilitate concilient. Equis melius ita fecit quam Palingenius?
  9. Mat. 7, 16.
  10. *Eth. Nic.* I, VI, 1098a.
  11. Iam satis dixit G. Reynier supradictus de Palingenio occultarum scientiarum amatore, eiusque de vinculis cum dæmonorum philosophia, in sua dissertatione (p. 63-83) ubi contendit «superstitionem, in Medio Ævo maxime pervulgatam, ab Antiquæ Humanitatis cultoribus summo favore acceptam», poetam nostrum obligasse ad istas fabulas, dummodo paululum, condendas in carmine.
  12. «Fallaces Graios, simulataque dona Minervæ», ut scripsit quidam poeta sub nomine Ovidii in argumentis *Æneidos* (II, 3).
  13. Quanquam, ut bene omnes meminimus, M. Tullius Cicero clarissimum versum eodem modo fecit: «O fortunatam natam me consule Romam»!
  14. Sicut illa alia Enniana genitivi porrectionis licentia: «Censentur: scatet hinc fons omnis stultitiae» (VI, 602).
  15. E. g. *Ep.* VII, 14: «Non, quo more piris vesci Calaber iubet hospes».
  16. Sumpta ex editione Caroli Hermanni Weise, Lipsiæ data anno 1832, et emendata a Francisco Ploton-Nicollet.